

cant, respectivos, & de illis eam verificabilem esse, non
 itidem ad actus absolutos. Quod si igitur universalior
 debeat substitui actus primi descriptio, quæ omnibus in
 universum actibus primis, absolutis & respectivis, con-
 veniat, videtur hoc vel simili modo posse efferri: Actus
 primus est actus, quatenus se habet non ut operatio, præ-
 scindendo scilicet, num insit alteri ut forma vel non sit.
 Actus vero secundus dici potest, Actus in quantum se ha-
 bet, ut operatio.

§. 30.

Atque ita videntur ad unum omnes actus rationem
 actus primi & secundi participare. Sic etiam actus en-
 titativi, qui non sunt formales, sive ipsæ existentia rerum
 quæ non sunt formæ ad hanc distinctionem reduci pos-
 sunt. Quod ipsum in superius data descriptione fieri
 non poterat, quia conceptus ille communis, forma sci-
 licet, erat angustior ipso descripto, quod fieri non potest
 jam vero vox actus habet locum conceptus generici,
 quia omnes actus in hoc conveniunt nullo excepto,
 quod vero alius actuum sit primus dicendus, alius vero
 secundus, id omne habent ab habitudine ad non opera-
 tionem & operationem, quam important, quæ proinde
 habitudo conceptus specifici sive proprii & distinctivi ra-
 tionem optimo jure habere videtur. Et si illa §. 26. al-
 lata ex Averrois mente descriptio procederet, ut uni-
 versalis fieret, eodem modo esset procedendum, ut loco
 conceptus generici, 7^o actus collocaretur. Quæ omnia
 accuratiorum judicio submitte.

§. 31.